

vulis. 2. *Pet. 1. v. 19.* Habemus firmiorem propheticum sermonem: cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in loco caliginoso, donec dies illucescat & lucifer oriatur in cordibus vestris. Si igitur tectum est Evangelium nostrum, iis qui pereunt tectum est, in quibus Deus hujus seculi excæcavit mentes infidelium, ne irradiat eos lumen Evangelij. 2. *Cor. 4. v. 3. 4.* Rectè dixit Irenæus lib. 8. adversus hæreticos cap. 2. Hæreticorum proprium esse Scripturas sacras obscuritatis & imperfectionis arguere. Cum ex Scripturis, *inquit*, arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non rectè habeant, neq; sint ex autoritate, & quia variæ sint dictæ, & quia non possit ex his inveniri veritas ab his, qui nesciunt traditionem. Item *lib. 2. c. 46.* universæ Scripturæ & Propheticæ & Apostolicæ in aperto & sine ambiguitate, & simpliciter in omnibus audiri possent. *Unde hortatur Clemens Alexandrinus in suo protreptico,* audite qui estis longè, audite, qui propè: nullis celatum est verbum, lux est communis, omnibus illucescit, nullus est in verbo cimmerius. Ecce Scriptura Sacra, omnes illustrat etiam ab Ethnicismo primum venientes. *Reliqua Sanctorum Patrum testimonia videantur in Colloquio Ratisbonensi sessione 8. pag. 164.*

THESES XII.

Materia quoq; credendorum, sive Canon Scripturarum divinarum adeò perfectus est, ut nihil addi debeat, nec opus sit traditione aliorum dogmatum divinitus non scriptorum.

Sic verbum Dei disertè celebratur perfectum. Psalm. 19. v. 8. lex Jehovæ perfecta תּוֹרַת יְהוָה תְּמִימָה Verbum Domini perfectum, *convertens animas.* Adeò ut nihil ipsi sit addendum nec demendum. *Deut. 4. v. 2. Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo: custodite mandata Domini Dei vestri, quæ ego precipio vobis. Cap 12. v. ult: Quod precipio tibi, hoc tantum facito Domino, nec addis quicquam, nec minuas. Galat. 1. v. 8. Licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Apoc. 22. v. 18. Contestor omni audienti verba prophetiæ libri hujus: Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto, nec non effectum*